

conversus, exclamaret : Quid est hoc? inquit, surgunt indocti, et cœlum rapiunt : et nos cum doctis nostris sine corde, ecce ubi volutâmur in carne et sanguine. Mox adjectum ædibus hortulorum ingressus, sub ficu stratus, cum veterum voluptatum memoria animam pertentaret, vocem audit, quasi pueri vel puellæ canentis : Tolle, lege; tolle, lege.

R. Pósui adjutórium.

Lectio vij.

Quod ille divinitus sibi dictum interpretans, concitus surgens, sacrarum Litterarum codicem in proximo apertis, in ea Apóstoli verba incidit : Non in comessationibus, et ebrietatibus, non in cubilibus, et impudiciis, non in contentione et æmulatione : sed induimini Dominum Jesum Christum. Tunc vero, quasi infusa ejus cordi securitatis luce, omnes ab eo hæsitatiõnis tenebræ discussæ sunt. Itaque abjecta omni rerum humanarum cura, non modo baptismum suscipere, sed etiam Deo addictius servire constituit. Igitur abdicato donandi munere, una cum matre quæ ex Africa ad eum venerat, atque amicis

rus conscendens, sacris precibus et jejuniis vacans, monasticæ vitæ, quam post amplexus est, rudimenta ponere visus est. Sed ubi tempus advenit, quo sacro lavacro nomen dare oportebat, Mediolanum rediit ipsisque paschalis diebus, incredibili bonorum lætitiæ, una cum filio Adeodato, atque Alypio familiaris, multisque aliis, lustralibus lymphis a beato Ambrósio expiatus est annos natus triginta tres. Tunc vero Ambrósus, ob tanti viri conversionem Deo gratias acturus, Te Deum laudamus præcivit, Augustino vicissim respondente, Te Dominum confitemur. Atque ita sacer ille hymnus, quo assidue ecclesiastica templarésõnant, a viris sanctissimis alternis ad finem usque contextus est.

R. Iste est.

In III. Nocturno.

Lectio sancti Evangelii secundum Matthæum.

Lectio vij. Cap. 19.

In illo tempore : Dixit Petrus ad Jesum : Ecce nos reliquimus omnia, et secuti sumus te : quid ergo erit nobis? Et reliqua.

Homilia sancti Joannis Chrysostomi.

Homil. 65. in Matth. in init.

Quænam sunt hæc omnia quæ tu dicis, beatissime Petre, reliquisse? Arundinem, retia, naviculam, universumque piscatorum artificium, hæc tu omnia vocas? Ita, inquit, sed non ambitione quadam, aut inani gloria : verum, ut pauperum plebem hac interrogatione introducam. Nam quoniam a Domino, dictum est : Si vis perfectus esse, vende quæ habes, et da pauperibus, et habebis thesaurum in celo : ne quis pauperum opinetur, non posse ad perfectionem se pervenire, cum non habeat, quæ pauperibus offerat, quaerit Petrus, ut tu discas, nihil te minus propter inopiam habiturum.

R. Amavit eum.

Lectio viij.

Quærit, inquam, Petrus, ne si id a se perciperes, præsertim cum adhuc spiritus gratia non abundaret, ambiguitate perplexus jaceres, sed ut ab ipso ejus magistro prolata sententia firma spe roboreris. Nam quemadmodum etiam nos pro aliis disputamus, sic Apóstolus

quoque ad universi orbis commodum non dubitavit interrogare. A superioribus enim patet, nihil de se ipso ambiguisse. Qui enim ipsorum cœlorum claves suscepit, quanto magis de ceteris, quæ in cœlo sunt, confideret?

R. In medio Ecclesiæ aperuit os ejus, * Et implèvit eum Dominus spiritu sapientiæ et intellectus, alleluia. **V.** Jucunditatem et exultationem thesaurizavit super eum. — Et implèvit. **Gloria Patri. Et implèvit.**

Lectio ix.

Tu autem illud diligenter expende, quam exquisite duo illa, quæ Christus a divite petiit, ut scilicet pauperibus substantiam distribueret suam et Christum sequeretur, breviter complexus est, dicens : Reliquimus omnia, et secuti sumus te. Ambo enim hæc facta jam erant : nam sua reliquerunt, ut ipsum sequerentur, et eo quod omnia reliquerunt, sequi facilius potuerunt : et quoniam reliquerunt, confidere atque gaudere ipsos admodum. Quid igitur Christus respondet? Amen dico vobis, quod vos qui secuti estis me, in regeneratione, cum sederit Filius homi-

nis in sede majestatis suæ, sedébitis et vos super sedes duodecim, judicantes duodecim tribus Israel.

Te Deum laudamus.
Ad Benedictus, Aña. Per viscera misericordiae suæ visitavit Dominus Augustinum, ut qui prius sedebat in tenebris et umbra mortis, postea illuminaret orbem, allelúia.

Vesperæ de sequenti.
Commém. præced. Aña. Fecit Dominus in conversione Augustini populo suo ingentem lætitiã, hostibus superbis terrorem, et cunctis fidelibus tutamen, recordatus misericordiae suæ, allelúia.

DIE VIII. MAIL.
Festo in honorem SS. Trinitatis ob conversionem Gothorum.

Duplex majus.

INI VESPERIS.

Aña et Capitulum de Laudibus.

Psalmi ut in j. Vesperis de Communi Apostolorum.

Hymnus.

CArmen, antiqui memor usque doni,
Pangat Hispanus Triadi supernæ,
Cœlitum plaudat recinens ab alto
Æthere cœtus.

Natio late dominans Gothorum,
Labe doctrinæ maculata, demum

Novit errorem, recipitque toto Pectore Christum.

En dies clari redeunt novumque

Lumen, hispãna regione cedit

Hæresis frendens, nigra luctuosæ Noctis imago.

Sic, noto nubes removente, solis

Fulgurat vultus, zephyro tepenti
ic hiems terris fugit et renidet

Floridus annus.
Mente concordi celebrantur una,

Ut pares ambo, Pater atque Verbum

Quodque non impar ab utroque spirat,

Flamen amoris. Am.

V. Benedicamus Patrem et Filium cum sancto Spiritu, allelúia. **R.** Laudemus et superexaltemus eum in sæcula, allelúia.

Ad Magnificat. Aña. Grãtias tibi Deus, grãtias tibi vera et una Trinitas, una et summa Dẽitas, sancta et una Unitas, allelúia.

Oratio.

Omnipotens sempiternus Deus, qui dedisti famulis tuis in confessio-

ne veræ fidei, æternæ Trinitatis glóriã agnoscere, et in potẽtia majestatis adorare Unitatem: quæsumus, ut ejusdem fidei firmitate, ab omnibus semper muniamur adversis. Per Dominum.

AD MATUTINUM.

Invitat. Deum verum, unum in Trinitate, et Trinitatem in Unitate, * Venite adoremus, allelúia.

Ps. Venite, allelúia.

Hymnus.

Patris elusa feritate, vectus
Jam triumphali super astra curru,
Lucis æternæ capiẽbat auras

Hermenegildus.

Non tamen caræ patriæ nec ille

Fratris oblitus, roseum cruorem

Exhibet Christo, fideique semen

Crẽscere poscit.

Annuens votis Deus excitavit

Præditum magnis meritis Leãndrum,

Tota gens cujus sapiente dextra

Ducta regatur.

Ut poli sedes, meliusque regnum

Martyrem Regem docuit subire

Sic parem cura, studioque fratrem

Format alumnus.

Lætus huic æquam Recarëdus aurem

Præbuit, tanto docilis magistro,

Mente doctrinam bibit aureosque

Pectore mores.

Mente concordi celebrantur una,

Ut pares ambo, Pater atque Verbum

Quodque non impar ab utroque spirat,

Flamen amoris.

Amen.

In I. Nocturno.

Aña. Adesto unus Deus omnipotens, Pater, Filius, et Spiritus sanctus, allelúia.

Psalmi ut in j. Nocturno de Communi Virginum.

V. Benedicamus Patrem et Filium cum sancto Spiritu, allelúia. **R.** Laudemus et superexaltemus eum in sæcula, allelúia.

De Isaia Propheta.

Tercio j. Cap. 6.

IN anno, quo mortuus est rex Ozias, vidi Dominum sedentem super solum excelsum et elevatum: et ea quæ sub ipso erant, replabant templum. Sèraphim stabant super illud: sex alæ uni, et sex alæ alteri: duabus velabant faciem

ejus, et duabus velabant pedes ejus, et duabus volabant. Et clamabant alter ad alterum, et dicebant: Sanctus, sanctus, sanctus, Dominus Deus exercituum, plena est omnis terra gloria ejus. Et commota sunt superliminaria cardinum a voce clamantis, et domus repleta est fumo.

R. Vidi Dominum sedentem super solium excelsum et elevatum, et plena erat omnis terra maiestate ejus. * Et ea, quae sub ipso erant, replebant templum, alleluia. **V.** Seraphim stabant super illud: sex alae uni, et sex alae alteri. — Et ea.

LECTIO II.

ET dixi: Vae mihi, quia tacui, quia vir pollutus labiis ego sum, et in medio populi polluta labia habentis ego habito, et Regem Dominum exercituum vidi oculis meis. Et volavit ad me unus de Seraphim, et in manu ejus calculus, quem forcipe tulerat de altari. Et tetigit os meum, et dixit: Ecce tetigit hoc labia tua, et auferetur iniquitas tua, et peccatum tuum mundabitur. Et audivi vocem Domini dicentis: Quem mittam et quis ibit nobis? Et dixi: Ecce ego, mitte me.

R. Benedictus Dominus Deus Israel, qui facit mirabilia magna solus: * Et benedictum nomen maiestatis ejus in aeternum, alleluia. **V.** Replebitur maiestate ejus omnis terra: fiat, fiat. — Et.

LECTIO III.

ET dixit: Vade, et dicet populo huic: Audite audientes, et nolite intelligere: et videte visionem, et nolite cognoscere. Excaca cor populi hujus, et aures ejus aggravata: et oculus ejus claudet: ne forte videat oculis suis, et auribus suis audiat, et corde suo intelligat, et convertatur, et sanem eum. Et dixi: Usquequo Domine? Et dixit: Donec desolentur civitates absque habitatore, et domus sine homine, et terra relinquatur deserta. Et longe faciet Dominus homines, et multiplicabitur quae derelicta fuerat in medio terrae.

R. Benedicat nos Deus, Deus noster, benedicat nos Deus: * Et metuant eum omnes fines terrae, alleluia. **V.** Deus misereatur nostri, et benedicat nos Deus. — Et. Gloria. Et.

In II. Nocturno.

Añã. Te invocamus, te laudamus, te adoramus, o beata Trinitas, alleluia.

Ps. 46. Omnes Gentes. **ut in Psalt. Feria iij. ad Matutinum.**

Ps. 47. Magnus Dominus. **ibid.**

Ps. Deus iudicium. ut in Psalt. Feria v. ad Matutinum.

V. Benedictus es Domine in firmamento caeli, alleluia. **R.** Et laudabilis et gloriosus in saecula, alleluia.

LECTIO IV.

Ostquam Hispania sub Gothorum imperium cecidit, ariana haeresis ab eis invecta miserabiles strages edidit. Huic nefariae sectae Leovigildus rex addictus cum multa alia in Catholicos perpetravit, tum filium Hermenegildum magnae spei juvenem, et orthodoxae fidei praecipuum a sancto Leandro imbutum, crudeliter occidi jussit, quod de Arianorum manu communionem accipere recusaret. Subinde, cum pater innocentis filii vitam sanctissime actam animo revolveret, Recaredus, alterum filium; ejusdem Leandri disciplinae tradidit, ut ex ea schola talis prodiret Recaredus, qualis prodierat Hermenegildus. Nec spem fefellit eventus. Nam indefessi Praesulis institutio-

nibus adeo profecit Recaredus, ut rerum potitus, populos omnes sibi subiectos, non vi et minis, sed ratione et persuasionibus ad Ecclesiam catholicam traduxerit. Itaque concilium Tolleti congregari curavit, quo ariana haeresis palam ejurata damnaretur.

R. Tunc acclamatum est in laudibus Dei, et in favore principis ab universo Clero: Gloria Deo Patri, et Filio, et Spiritui sancto, * Cui cura est pacem et unitatem Ecclesiae suae sanctae catholicae providere, alleluia. **V.** Gloria Deo nostro Jesu Christo, qui pretio sanguinis sui Ecclesiam catholicam ex omnibus gentibus congregavit. — Cui.

LECTIO V.

Episcopi catholici sexaginta duo ad celebrandum concilium convenerunt, quod inter Toletana tertium ordine est, et magnam semper venerationem habuit. In primis Recaredus Patres adhortatus est, ut vigiliis, jejuniis, accensisque apud Deum precibus sese compararent ad ecclesiasticam disciplinam iniquitate temporum collapsam statutis legibus instaurandam. Deinde gravi et effi-

cáci oratione, in qua mirifici pietatissensusemicabant, immortales gratias Deo egit, et incredibili gaudio se exsultare dixit, quod divino auxilio adjectus non solum gentem suam, sed Suevos quoque, paulo ante in suam ditionem redactos, alieno aberrantes vitio, ad veritatis viam et Ecclesiae unitatem revocasset. Praclare demum peroravit, cum populos conversos Episcoporum diligentiae commisit, asserens aeternam hanc sibi fore coronam, si, quos ipse ad fidem adduxerat, in ea fundati, optimaeque constituti Episcoporum vigilantia permanerent. Hac habita oratione piissimus rex ante Episcopos, tamquam ante conspectum Dei, ut dixit, consistens, formulam fidei a se scriptam protulit, qua doctrina catholica de sanctissima Trinitate continebatur.

R. Gloria Deo nostro Jesu Christo, qui tam illustrem gentem unitati verae Fidei copulavit, et unum gregem et unum Pastorem instituit. * Tu es Deus qui facis mirabilia, alleluia. **V.** Redemisti in brachio tuo populum tuum. — Tu es.

Lectio vij.

In signem religiosi principis pietatem universum concilium laetis faustisque acclamationibus excepit, quas multae deinde synodi sunt imitatae. Ariani Episcopi alique proceres, exemplum regis sequuti, professionem fidei pariter scriptam obtulerunt. Quibus peractis, multa sancte et utiliter in concilio stabilita sunt; sed illud potissimum Recaredi consilio et suasionem, ut in Missae sacrificio symbolum fidei, more Ecclesiae orientalis, clara voce diceretur; qua nulla antiquior, in Ecclesia occidentali, memoria exstat symboli in Missae sollemnibus recepti. Sanctus Leander luculentam hominam habuit, qua omnium animos ad laetitiam, et ad diem festum celebrandum excitavit, magno opere cohortans, ut pro regnis regniue temporali felicitate, aeternae gloriae consecutione divinam Majestatem deprecarentur. Porro, auspiciatissimae hujus conversionis memoria saeculari decima tertia sollemniter celebrata, rogantibus Episcopis Hispaniae universis, ut Officium et Missa concederetur in honorem sanctissimi

mæ Trinitatis ob conversionem Gothorum, Leo decimus tertius Pontifex maximus benigne annuit anno millésimo octingentesimo nonagesimo primo.

R. Benedictus Dominus Jesus Christus: * Qui habitare fecit fratres in unum, alleluia. **V.** Dominus pacis det nobis pacem sempiternam. — Qui. Gloria. Qui.

In III. Nocturno.

Añ. Caritas Pater est, gratia Filius, communicatio Spiritus sanctus, o beata Trinitas, alleluia.

Psalmi ut in iij. Noct. de Communi Virginum.

V. Verbo Domini caeli firmati sunt, alleluia. **R.** Et Spiritu oris ejus omnis virtus eorum, alleluia.

Lectio sancti Evangelii secundum Matthaeum.

Lectio vij. Cap. 28. c

In illo tempore: Dixit Jesus discipulis suis: Data est mihi omnis potestas in caelo et in terra. Eunt ergo docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris et Filii et Spiritus sancti. Et reliqua.

Homilia sancti Leandri Episcopi.

(In Act. Conc. Tollet. III.)

R. Estiuitatem hanc omnium esse sollemniolem festivitatum novitas ipsa significat. Quoniam sicut

nova est conversio tantarum plebium causa, etiam nobiliora sunt solito Ecclesiae gaudia: nam multas solemnitates per anni discursum celebrat Ecclesia, in quibus tametsi habet gaudia consueta, nova vero sicut in hac non habet; aliter enim gaudet de rebus semper possessis, aliter de lucris magnis his nuper inventis. Pro qua re et nos majoribus gaudiis elevamur, quia repente nos Ecclesiarum parturisse populos intuemur, et quorum asperitatem quondam gemebamus, de eorum nunc gaudemus credulitate. Ergo materia gaudii nostri tribulationis praeterita occasio fuit. Gemebamus, dum gravaremur; sed gemitus illi id egerunt, ut hi qui per infidelitatem nobis erant sarcina, fierent nostra per suam conversionem corona.

R. Benedicamus Patrem et Filium cum sancto Spiritu: * Laudemus et superexaltamus eum in saecula, alleluia. **V.** Benedictus es, Domine, in firmamento caeli, et laudabilis et gloriosus in saecula. — Laudemus.

Lectio vij.

Exulta ergo et laetare Ecclesia Dei; gaude et consurge, unum Cor-

pus Christi; indüere fortitudine, et júbila exsultatione, quóniam tui mœrorés in gáudium sunt mutáti, tristitiæ hábitus in amictum lætitiæ versus est. Ecce repénite oblita sterilitatis et paupertatis tuæ uno partu pópulos innúmeros genuisti Christo tuo. Nam dispéndiis tuis próficis tuoque damno subcréscis; tantus dénique est Sponsus tuus, cujus império régeris, ut dum te patiátur deprædári ad módicum, rursus prædam tuam ad te reducat, et hostes tuos tibi conquírat. Sic autem agricola, sic piscátor, dum lucra attendit futúra, quæ séminat et quæ hamo ingésserit, non imputat damna. Tu proinde jam ne fleas; ne lúgeas, temporáliter quosdam recessisse a te, quos cernis cum magnis lucris rediisse ad te.

R. Duo Séraphim clamábant alter ad álterum :

* Sanctus, sanctus, sanctus, Dóminus Deus Sábaoth. * Plena est omnis terra glória ejus, allelúia.

V. Tres sunt qui testimónium dant in cœlo, Pater, Verbum et Spíritus sanctus : et hi tres unum sunt. — Sanctus. Glória Patri. Plena est.

Lectio ix.

Ergo, fratres, tota caritate ánima exsultemus in Dómino, et jubilemus Deo salutári nostro. Parietem enim discórdiæ, quem fabricáverat diábolus, pax Christi destrúxit, et domus quæ divisione in mútuam certábat cædem, uno jam Christo lapide angulári conjúngitur. Dicámus ergo omnes : Glória in excélsis Deo, et in terra pax homínibus bonæ voluntátis. Nullum enim præmium caritáti compensátur. Inde omni gáudio præpónitur, quia pax et caritas facta est, quæ ómnium virtutum obtinet principátum. Súperest autem ut unanimiter unum omnes regnum effécti, tam pro stabilitate regni terréni, quam pro felicitate regni cœlestis Deum précibus adeámus, ut regnum et gens, quæ Christum glorificávit in terris, glorificétur ab illo non solum in terris sed étiam in cœlis. Amen.

Te Deum laudámus.

AD LAUDES,

et per Horas, Añæ.

1. Glória tibi Trínitas * æquális, una Déitas, et ante ómnia sæcula, et nunc et in perpétuum, allelúia.

2. Laus et perénnis glória * Deo Patri, et Filio, sancto simul Paráclito, in sæculórum sæcula, allelúia.

3. Glória laudis * résonet in ore ómnium, Patri, genitæque Proli, Spíritui sancto páriter resúltet laude perénni, allelúia.

4. Laus Deo Patri, párilique Proli, et tibi sancte stúdio perénni Spíritus, nostro résonet ab ore, omne per ævum, allelúia.

5. Ex quo ómnia, * per quem ómnia, in quo ómnia : ipsi glória in sæcula, allelúia.

Capitulum. Rom. II. d

O Altitúdo divitiárum sapiéntiæ, et sciéntiæ Dei : quam incomprehensibilia sunt judícia ejus, et investigábiles viæ ejus!

Hymnus.

UT Gothus labem sceleris vetústi Eluat, Christi répetens óvile, Ampla Toléti récipit vocátos

Régia patres.

Afluunt omni próceres ab ora,

Qui Pyrenæos tenuere saltus,

Quosque ab extrémis mare fabulósum

Discidit Afris.

Præsides cleri populique rite

Hæresim damnant, præeunte rege,

Tresque Persónas profiténtur, unum

Numen adorant.

Hanc fidem ductu réti-
nent Leándri,

Quam nec irrepens labefactet error,

Ulla neu longo revolúta cursu

Pólluat ætas.

Mente concórdi celebréntur una,

Ut pares ambo, Pater atque Verbum,

Quodque non impar ab utróque spirat,

Flamen amoris.

Amen.

V. Benedicámus Patrem et Filium cum sancto Spíritui, allelúia. **R.** Laudémus et superexaltémus eum in sæcula, allelúia.

Ad Benedictus, Añæ. Benedicta sit sancta, créatrix et gubernatrix ómnium, sancta et individua Trínitas, nunc, et semper, et per infinita sæcula sæculórum, allelúia.

Oratio.

O Mnípotens sempiternus Deus, qui dedisti famulis tuis in confessióne veræ fidei, ætérnæ Trinitátis glóriam agnóscere, et in poténtia majestátis adoráre Unitátem : quæ-

sumus, ut ejusdem fidei firmitate, ab omnibus semper muniamur adversis. Per Dominum nostrum. **Ad Primam Psalmi ut in Festo duplici, cum Symbolo S. Athanasii.**

AD TERTIAM.

Capitul. O altitudo. ut supra.

R. br. Benedicamus Patrem, et Filium, cum sancto Spiritu. * Alleluia, alleluia. Benedicamus. **V.** Laudemus et superexaltemus eum in saecula. Alleluia, alleluia. Gloria Patri. Benedicamus.

V. Benedictus es Domine in firmamento caeli, alleluia. **R.** Et laudabilis et gloriosus in saecula, alleluia.

AD SEXTAM.

Capitulum. 2. Cor. 13. d
Gratia Domini nostri Jesu Christi, et caritas Dei, et communicatio sancti Spiritus sit cum omnibus vobis. Amen.

R. br. Benedictus es Domine in firmamento caeli, * Alleluia, alleluia. Benedictus. **V.** Et laudabilis, et gloriosus in saecula. Alleluia, alleluia. Gloria Patri. Benedictus.

V. Verbo Domini caeli firmati sunt, alleluia. **R.** Et Spiritu oris ejus omnis virtus eorum, alleluia.

AD NONAM.

Capitulum. 1. Joann. 5. b
Tres sunt, qui testimonium dant in caelo: Pater, Verbum, et Spiritus sanctus; et hi tres unum sunt.

R. br. Verbo Domini caeli firmati sunt, * Alleluia, alleluia. Verbo. **V.** Et Spiritu oris ejus, omnis virtus eorum. Alleluia, alleluia. Gloria Patri. Verbo.

V. Sit nomen Domini benedictum, alleluia. **R.** Ex hoc nunc, et usque in saeculum, alleluia.

IN II. VESPERIS.

Añae et Capitulum de Laudibus. Psalmi ut in j. Vesperis de Comuni Apostolorum.

Hymnus ut in j. Vesperis. 62.

V. Benedictus es Domine in firmamento caeli, alleluia. **R.** Et laudabilis et gloriosus in saecula, alleluia.

Ad Magnificat. Aña. Te Deum Patrem ingénitum, te Filium unigénitum, te Spiritum sanctum Paráclitum, sanctam et individuam Trinitatem, toto corde et ore confitemur, laudamus, atque benedicimus: tibi gloria in saecula, alleluia.

DIE X. MAIL.

B. Joannis de Avila, Conf. Presbyteri Saecularis Magistri nuncupati.

Duplex.

Omnia de Comm. Conf. non Pontif. praeter sequentia.

Oratio.

Bonorum omnium largitor Deus, qui beatum Joannem Confessorem tuum, in animabus ad salutis viam dirigendis, et peccatoribus ad poenitentiam reducendis, Magistrum admirabilem effecisti: concede quaesumus; ut ejus vestigiis jugiter inherentes, gloriam consequamur aeternam. Per Dominum.

In j. Nocturno, Lectiones de Scriptura occurrente. In Feria ij. et iv. Rogat. et in Vigilia Ascensionis, Lect. Beatus vir. de Comuni ij. loco.

In II. Nocturno.

LECTIO IV.

Moannes de Avila, cognomento Magister, Almodovarii, in Hispaniae dicecesi Cluniensi, honesto loco natus, jam tum a puero insignia pietatis et innocentiae exhibuit specimen. Humanioribus litteris multa cum ingenii laude

eruditus decimum quartum aetatis annum agens, Salmanticae ad juris disciplinas animum adhibuit; quo in studio cum sedulo versaretur, caelesti luce subito collustratus, domum rediit ac mundi despectis illecebris, afflictando corpori omnibusque virtutibus exercendis totum se addixit. In hoc vitae genere triennio sese exercuit, eo autem elapso, pii cujusdam viri monitis obsecundans, philosophicas ac theologicas scientias ediscendas suscepit, quo nempe divinae gloriae amplificandae aptius instrueretur. Sacerdos factus acquirendae perfectionis studium longe auxit; nec multo post, apostolici ministerii flagrans desiderio, sacras apud Indos expeditiones cogitare coepit.

R. Honestum.

LECTIO V.

Quapropter, patrimonio in pauperes erogato, Episcopo Tlascalensi in Mexico profecturo ultro comitem sese obtulit. Attamen, quum Hispali secundum navigando tempus praestoleretur, Hispanensis Archiepiscopi suasionem et consilio, Mexicanam expeditioni apostolicam in Hispania

nia labóres prætulit. Iis igitur máximo cum ardóre susceptis, in eisdem per annos quadraginta quinque, ad mortem usque, constantissime perseverávit. Præcipuæ Bæticæ urbes sacris conciónibus ab eo excúltæ. Mirus vero inter concionándum ex ejus vultu atque óculis émicans splendor tantam vim verbis adjiciébat, ut fructus retúlerit ubérrimos : extinctas simultates, factionum partes inter se compósitas, vitia eradicáta, invéctam ubique morum integritatem; ut non immérito Joánnes Bæticæ apóstolus ac magister sit appellátus.

R. Amávit.

Lectio vj.

Sacris vero conciónibus cétera étiam ecclesiástici múnis et caritátis ópera addébat : nam confessiónes excipere, púeros fidei eleménta docére, ægrótos invísere, moriéntibus astáre, egénos et míseros omne genus solári, quotidiána ejus erat sollicitúdo. Hæc autem inter libros quoque scripsit cœlesti plenos sapiéntia, divinásque Scriptúras e cáthedra commentáriis illustrávit. Sancto Ignátio de Loyóla in

propagánda per Hispaniam Societáte Jesu máximo fuit adjumento. Sanctis vero Joánni de Deo, Francisco Bórgia, Petro de Alcántara et Terésia a Jesu consiliis ádfuit. Románi Pontífices, quibus fuit appríme carus, sæpe ejus ópera usi sunt. Tandem labóribus morboque diútino conféctus, sacraméntis rite susceptis, Jesu et Mariæ nómina suavissime ingémians, Montiliæ obdormívit in Dómino Idus Maii anno millésimo quingentésimo sexagésimo nono, ætátis septuagésimo. Miráculis post mortem a Deo illustrátum Leo décimus tértius Pontifex máximo in Beatórum catálogum rétulit.

R. Iste homo.

In iij. Nocturno, Homilia. Dóminus et Salvátor. de Communi Evangelistarum cum RR. de Communi Confess. non Pontificis.

DIE XII. MAII.

S. Dominici Calceatensis

Conf. Semiduplex. Omnia de Comm. Conf. non Pont. præter seq.

Oratio.

Clementissime Deus, qui beatum Dominicum Confessorem tuum

egrégiis virtútibus illustráre dignátus es : concede quæsumus, ut cujus hódie natalítia celebrámus, ejus intercessiónem a peccatórum nostrórum néxibus liberári, et illius consórtio in cœlis pérfrui mereámur. Per Dóminum.

Inj. Nocturno, Lectiones de Scriptura occurrente.

In II. Nocturno.

Lectio iv.

Bominicus Calceatensis, Villóriæ in finibus Cantabriæ illústri génere natus, qualis adulta futurus esset ætate, in juvenilibus annis plúrima virtúte et pietate monstrávit. Itaque ante annum ætátis vigésimum divíno succensus ardóre, mundána cuncta contémnens, Deo adhærere ejusque firmiter obedire mandátis secum studiósè constituit. Id vero sub regulári disciplina se facilius consecutúrum existimans, primum ad Abbátem valis Venáriæ ordinis sancti Benedicti, deinde ad monastérium sancti Æmiliáni ejúsdem institúti supplex accessit, ut in monachórum consórtium admitterétur. Passus tamen utróque loco repúlsam, Deo illum ad majóra disponénte, in oratióne assídua variisque córporis

cruciátibus per quinquénium vitam duxit eremíticam in deserto Burébæ, constructo húmili tugúrio et Deiparæ Virgini sacélló. *R.* Honéstum.

Lectio v.

Audíta porro fama sanctíssimi viri Gregórii, Cardínalis Episcopi Ostiénsis, Sedis apostólicæ legáti, qui suis apud Deum précibus et salutaribus ad pópulum mónitis univérsam Cantabriæ et Navárræ regiónem a multis liberávit ærúmnis, ad eum Lucróni hæréntem accessit, sub cujus disciplina mirum in modum profécit, nunquam ab eo passus divelli, donéc vir sanctus e vivis excéssit. Tanto destitútus magistro dénuo ad vitam regréssus eremíticam eo constitit loco, quo nunc requiésцит, haud procul a via régia, qua iter erat ad sancti Jacóbi Compostellánam peregrinatióem, densis silvis et latrónum incúrsibus periculósum, palúdiibus et cœnósibus anfráctibus nimis moléstum, transvérsi flúminis alluvióne frequénte impérvium.

R. Amávit eum.

Lectio vj.

Compássus itaque vir sanctus tot tantisque peregrinórum incómmodo-

dis, Deo multis modis mirabiliter propitiante, silvam, nemora, lucos succidit, viam regiam longe lateque stravit, fluminis impetus, nobili superinducto ponte, qui etiam nunc cernitur, superavit; domum amplam peregrinis et egenis excipiendis edificavit, et Christo Salvatori templum, quod postea, confluentibus vicinis populis urbemque a sancti viri nomine nuncupatam construentibus, cathedra insignitum est episcopali. Multis demum virtutibus et miraculis illustris, superatis annis nonaginta, obdormivit in Domino, anno millesimo centesimo nono, conditus in tumulo quem ipse ante annos septem sibi praeparavit.

R. Iste homo.

In iij. Nocturno, Homilia. Sancti Evangelii. de Communi.

DIE XIII. MAII.

S. Secundi

Episc. et Mart. Duplex.

Omnia de Comm. unius Mart. temp. Pasch. praeter sequentia.

Oratio. Infirmitatem.

Commem. praecedentis.

In j. Noct. Lect. A Miléto. de Comm. extra tempus Paschale.

In II. Nocturno.

Lectio ib.

Secundus, Torquatus, Ctésiphon, Indalétius, Caecilius, Hesychnius, et Euphrasius integerrimae vitae socii, ab Apóstolis Petro et Paulo creati Episcopi, ad praedicandum Christi Evangelium in Hispaniam mittuntur. Qui prosperam (favente Deo) navigationem tenentes, Accim, Bæticæ Turdetanæ urbem, Guádix nunc vulgo nominatam, appulerunt; cumque ipsorum aliqui fessi ex itinere prope urbis mœnia quiescerent, alii urbem ad emendum cibum ingressi sunt. Sed eos multitudo infidelium, qui festum diem suorum deorum agebant, extra urbem eiecit, factoque impetu ad fluvium usque persecuta est. In fluvio pons erat miræ magnitudinis et firmitatis, qui tunc, Dei nutu, cum infidelium multitudine, a qua occupatus est, corruit.

R. Lux perpétua.

Lectio v.

Quo miraculo ceteri perterriti, respuentes idola in Christum crediderunt, imitati Lupariam quamdam senatricem magnæ auctoritatis

mulierem, quæ divino instinctu Sanctos Dei benigne excepit, et in Christum credidit, et ædiculam extruxit, quam Salvatori dedicavit. Post quæ Torquato Accis præfecto, reliqui diversis ejus provinciae civitatibus evangelizarunt, in quibus Secundus, qui Abulam civitatem docendam suscepit, multos vitæ exemplo et prædicatione per Evangelium Deo genuit. Tandem post multos pro Christo toleratos labores moriens, suo sanguine Abulensem ecclesiam Deo vero consecravit.

R. In servis.

Lectio vij.

Cum vero ejus corpus omnibus ignotum diu jacuisset, anno millesimo quingentesimo decimo nono divinitus inventum est. Nam cæmentarii dum labentem templi parietem demolirentur, sub ejus fundamento lapideam arcam invenerunt inscriptam his verbis: Sanctus Secundus; e qua tanta odorum suavitas emanabat, ut templum et vicina loca perfunderet. Contigit quoque in sancti corporis testimonium, ut unus ex cæmentariis, hernia, morbo insanabili, laborans, ad aspectum san-

cti corporis convalesceret. Quarum rerum percrescente fama, innumeri homines ad visendum sancti Secundi corpus venerunt, ac plerique variis morbis laborantes, sancti Secundi meritis sanati sunt. Hujus sancti Episcopi et Martyris reliquiae multis illustratae miraculis, in antiquissimo templo, quod in Abulae suburbio extructum est, per longa tempora asservatae sunt. Hinc in primarium urbis templum translatae sunt, et in sacello ipsi Sancto dicato reconditae, ubi frequenti et incredibili totius populi devotione coluntur.

R. Filiae Jerusalem.

In iij. Nocturno, Homil. Iste locus. de Communi Mart. temp. Paschali.

In Vesperis Commem. S. Bonifacii Martyris.

EADEM DIE XIII.

VEL ALIA DIE.

S. Petri Regalati

Confessoris. Semiduplex. Omnia de Comm. Conf. non Pont. praeter sequentia. (m. t. v.)

Oratio.

Deus, qui dilectum famulum tuum Petrum carne mortificatum ad delicias gloriae tuae assumere dignatus es :